

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Martini Ehlers Rectoris Scholae Oldenburgensis Oratio
Auspicalis De Iusto Auctoritatis In Opinionibus Pretio,
Pridie Kalendas Novembr. A.R.S. MDCCLXVIII. Habita**


Ehlers, Martin

[Oldenburg], MDCCLXIX

VD18 12141763

Adlocutio

urn:nbn:de:gbv:45:1-19379



A D L O C U T I O

ad Virum clarissimum atque eruditissimum MARTINUM
E H L E R S , quum ad munus Rectoris scholae
Oldenburgen sis rite auspicandum, pridie Kalend. Nov. A.
Aer. Chr. cIc Icc LXVIII. in scholam
solemniter introduceretur.

Desiderii magni ac paene incredibilis, *Vir clarissime ac doctissime*, quo Te haec schola, nostra urbs, et tot filiorum patres, huius urbis magistratus, hi Maeccenates ac piarum elegantiorumque litterarum illustres integerrimique fautores, omnes denique boni optarunt, expetierunt, exspectarunt, finem attulit

A 3

attulit



nouam alacritatem, ad largam messam nouarum frugum animos omnium excitandi.

Ex quo enim Vir clarissimus ac doctissimus, *Ioannes Michael Herbartus*, Regii Consistorii Adfessor, et huius Lycei Rector, qui per triginta tres, (*) et quod excurrit, annos ad gubernacula rei scholasticae sedis, vir ab ingenio artiumque peritia magnopere politus, primum diuturno satis molestissimoque morbo lectulo adfixus iacuerat, dein plane violentia morbi oppressus de hac vita decesserat; Alter autem ordine Praeceptor, *Fridericus Fischerus*, vir humanissimus, ad obtundum munus ecclesiasticum, quod demandatum ei fuerat, (**) hinc abierat: Orba haec Musarum sedes, in primis utraque superior classis, tristis, in luctu quasi, futuri cunctus incerta, inter spem metumque fluctuabatur.

Immor-

(*) Auspicatus est munus scholasticum a. d. xix. Kalendas Febr. A. c. I. o. cc. xxxv.
Oratione de puluere scholastico, iucundo magis, quam molesto; Diem autem supremum obiit a. d. xv. Nonas Aug. c. I. o. c. Lxviii. quin ante Conrector scholae Delmenhorstanae constitutus iuuentu formandae instituendaque operam dedit.

(**) Varensis, inter candidatos ministerii ecclesiastici receptus A. c. I. o. cc. lvi.
Postea e. Subconrectoris ad Conrectoris gradum adscendit, ac superiore anno Pastor ecclesiae Oldenbrocensis designatus, ipso Ioannis Baptistae festo Xagorovia selemni consecratus fuit.

Immortales autem gratias et agimus, et habemus
caelesti prouidentiae, rerum humanarum moderatrici,
quae signum ad melius sperandum sustulit, quae Te no-
bis, *Vir optime*, e vicina Cimbria ostendit, quae omnium
voluntates in Te unice expetendo ad amicissimam con-
spirationem coniunxit, quae mentem tuam flexit aver-
titque, ut ne in remotiores orbis terrarum fines traherere;
quae AUGUSTISSIMUM NOSTRUM REGEM per-
mouit, ut commendationi consilioque illustrium ho-
rum et integerrimorum virorum, quibus publica salus
curae est, indulgenter locum daret, quae denique Te,
Vir clarissime, impulit, ut ingenii, doctrinae, industriae
opes abs Te collectas e Cimbria tua libenter pronaque
voluntate in has potissimum Vestphaliae oras inferendas
putares.

Facile cognosces, *Vir probatissime*, ex hoc tam di-
versarum rerum concursu, et tam mira consensione
animorum, Te non sine numine diuino huic scholae
nobisque datum. Deus est, qui Te a priori munere
auocauit. Deus, qui ad repudiandum alias conditio-
nes inclinauit. Deus, qui Te ad iter accinxit, in via
duxit, faluum incolumemque una cuin tuis in noua
fede collocauit.

Quod



483

Quod igitur felix, faustum fortunatumque ac
prosperum sit sanctissimae nostrae religioni, morum
innocentiae ac probitati, disciplinae scholasticae inte-
gritati, omni studiorum, linguarum, litterarum huma-
nitati, his adolescentibus ad discendum paratis perpe-
tuo bono, ecclesiae reique publicae commodo non in-
terituro, Te, MARTINE EHLERS, *Vir lectissi-*
me, qui iam in academia Te ad hoc vitae genus for-
masti, qui elegantissimo libello, accurateque scripto,
et publicam eruditorum approbationem merito, iam
ostendisti, Te et consilio paratum, et prudentia pree-
ditum, et animo roboratum, qui egregia iam docu-
menta industriae scholasticae in patria dedisti tua, Te
inquam *Redorem huius scholae iussu et auctoritate A U-*
GUSTISSIMI N O S T R I R E G I S, publicoque
nomine solemniter pronuntio atque produco.

Auspicare itaque, *Vir ornatusime*, hoc munus
animo magno et fiduciae pleno. Impigre orna hanc
spartam, quam naestus es. Redde hanc cathedram,
hanc scholam multo, quam umquam antea superiori
tempore fuit, celebriorem. Age causam Dei, religio-
nis, virtutis, honestatis ac sapientiae verae. Profliga
impietatem, (*) licentiam, inertiam, vanitatem, tam-
quam

(*) Non possum, quin locum aliquem e GOTHOFREDI VOCKERODT,
viri



¶ 49 ¶

quam monstra, totius generis humani odio dignissima.
Commenda institutione atque exemplo innocentiam,
humanitatem, elegantiamque morum. Confirma
bonae mentis adolescentes in laudabili proposito. Ex-
cita scintillas in animis eorum, quibus somnus obre-
psit. Hortare alacres ad animose decurrentum, et ad
altius enitendum. Duc infirmiores manu blanda ac
paterna. Timidioribus animum inspira, et spem no-
bilem iniice. Eum Te praesta, Vir adhortatione mea
nequaquam egens, ut omnes intelligent, Te huic scho-
lae, huic vrbi, his terris, vicinis quoque, diuinitus
obtigisse. Da operam, *Vir optime*, omnesque neruos
intende, ut neque Te nostri, neque nos Tui umquam
poenituisse videamur.

Arduum, inquies, negotium, et molestum, et la-
boris curarumque plenum hoc erit. Fateor equidem,
ac memini, virum aliquando pietate, eruditione, mu-
nerum

viri perpetua memoria dignissimi, *Consultationibus de litterarum studiis*
exscribam: "Humaniores vulgo; et politiores litterae appellantur, quae
traduntur in scholis. At quaeſo, quibus artibus aetas ad humanitatem tu-
tius, consultius et salutarius poterat informari, quam Christi doctrina dili-
gentius inculcata, et ipsius doctoris in schola vitae actu expresa? Quid
potentius emendare poterat mores inconditos, quam diuinæ sapientiae ele-
menta, et eorum sollicitum exercitium in poenitentia, precibus, lauda-
tione Dei, odio et contemptione sui, amore Christi, affectu in contuberna-
les fraternali, patientia, castitate, submissæ agendi loquendique consuetu-
dine, et reliq."

B



nerum grauitate ac meritorum magnitudine summum, aperte ac publice declarare, (*) quum munera scholastici auspicia, egregio et ipsi viro (**) demandati, solemnis sermone consecraret, molestissimam ei prouinciam imponi, maximis difficultatibus et odiis hominum obfessam, cumque, si ea recte fungeretur, hominem longe vexatissimum futurum. Quod quidem iudicium ab istorum temporum tristitia et iniquitate, vbi odium verae pietatis vanitasque fucatae scientiae optimi cuiusque animum misere sollicitabant, non abhorrebat.

Saeculi nostri laetior est facies. Habebis, *Vir praestantissime*, Deum propitium, qui piorum rectique amantium partes tuetur, labores, curas, molestias leuat, auxilium ac vires benignissime pollicetur, et fidelissime praefstat, neque viros bene merentes, et in recte factorum scientia potius acquiescentes, quam in lubricorum praemiorum aucupio versantes, umquam contabescere passus est.

Habebis,

(*) Erat HENRICUS FERGIUS, Superintendens in Ducatu Gothano Generalis, cui academicas exercitationes epistola lectu dignissima Vockerodt deditauit.

(**) GOTHOFREDO VOCKERODT, eius Consultationes, liber sanis principiis refertissimus, Gotha A. cIo I9 ccIV et v. vna cum aliis eius scriptiōibus in g̃o lucena viderunt.



113

Habebis, ut INDULGENTISSIMUM REGEM,
cuius iam expertus insigne beneficium es, ita *hos Viros*
in illustri hoc confessu iam praesentes, Maccenates, ge-
neris nobilitate, munerum splendore, consilio, aucto-
ritate, prouidentia illustrissimos, integerrimosque, tuo-
rum conatum, studiorum et laborum suffragatores,
qui gratia Te sua sustineant, consiliis iuuent, beneuo-
lentia subleuent, auctoritate tueantur, et ad Te ornani-
dum, excitandumque nihil reliqui faciant.

Habes ex ordine urbis senatorio *Viros amplissimos*,
tum litteratissimos, tum rerum gerendarum vsu ac dex-
teritate cognitos, qui bene Tibi cupiunt, et florem
nostrae scholae non mirifice tantum exoptant, sed ma-
gno etiam studio amplificare annitentur.

Habes hos iam *tuos Collegas*, viros probos, doctos,
humanos, socios comitesque vigiliarum et euraru-
tuarum, qui Te ducem alacres sequentur, consilia sa-
lutaria libentes audient, modestis monitis haud grauate
parebunt, tuoque in primis exemplo ad optima quaeque
ac iuuentuti salutaria impellentur.

Habes nostra in vrbe ac regione viros liberali do-
ctrina politissimos, in suo quemque scientiae genere
B 2 prae-



praestantes, ab studiorum humanitate numquam, nisi
grauioribus negotiis interpellentur, alienos. Eos Tibi
deditos, amicos, approbatores, laudatores existimato
fore.

Habebis tot parentes, filiorum bonaे spei, et pul-
cra indole praeditorum amantes, ac de salute libero-
rum accurate sollicitos, qui tuam in iuuentute for-
manda fidem vehementer exspectant, qui grato animo
suorum in litteris, virtutum, pietatis amore progressus
agnoscunt, qui in nouam vocati spem bene merituro
praeinīa meditantur, et ad bene faciendum propensi
videntur.

Habes iam, et habebis adolescentes labē saeculi
nondum infectos, licentia morum nondum corruptos,
voluptatum illecebris nondum eneruatos, sed alacri-
tate proficiendi accensos, amore liberalium artium in-
flammatos, et ab inferiore cognitionis gradu cupide
ad altiores paullatim tendentes. Quos si fidcliter eru-
dieris, et ad bonam frugem perduxeris, viri Te ama-
bunt, senes gratiam habebunt, et ipsa posteritas memo-
riam tuorum temporum collaudabit.

Egone



13

Egone denique me, *Vir clarissime, ac venerabiles*
meos collegas taceam? Mihi crede, *Vir optime, Tu*
nos amicissimos Tibi experiere, voluntate coniunctis-
simos, tuarumque rerum prosperitate sincere laetatu-
ros. Si quid erit in nobis vel consilii, vel officii, vel
studii, non committemus, ut in Te diligendo cuiquam
concessisse videamur.

Quanta cum voluptate lustrationibus posthac ludi
huius litterarii et ego, et nos omnes intererimus, quum
hanc Musarum sedem pulcrius in dies effloruisse, pie-
tatem ac virtutem robustiores neroos induisse, doctri-
nae ac bonarum artium studia maiora semper incre-
menta cepisse, patriamque nostram ex industria tua
fructus identidem vberiores percipere posse intelliga-
mus! Hoc optamus omnes a Deo immortali, piae-
potente rerum omnium moderatore,

B 3

Nihil



Nihil iam reliquum est, *Vir clarissime*, quam ut
ille Deus O. M. quae vota pro flore ac fructu huius
scholae, pro litterarum elegantiorum incremento, pro
salute patriae, pro exoptatissimo Regis in sua regna
reditu, pro felicitate temporum, ac pro tua etiam tuo-
rumque incolumitate ac valetudinis firmitate pie nun-
cupamus, ea omnia rata, certa, fixa
esse iubeat.



Vir





*Vir Illustrissime, Excellentissime,
Auditores suis quique titulis decoribusque ornatis simi,
honoratis simi, omnique, qua pars est, pietate et
observantia, venerandi et colendi.*

Diligenter ad ea, quae in hoc terrarum orbe fiunt
et ad eorum caussas attendentem fugere non
potest, ex quavis alia potius caussa, quam et ratione
proficiisci fere omnia. Negari quidem non potest, ho-
mines ratione esse praeditos, sed et id, proh dolor, ne-
gari nequit, illos fere numquam ratione ductos vivere.
Quamvis quisque persuadere aliis studet, omnibus suis
consiliis atque actionibus rationem praesidere, quam-
vis ut sibi met ipsi probetur, vel sibi ipsi persuadet, se
rationis praecepta sequi: paucissima tamen sunt exem-
pla, homines ad solius rationis nutum in agendo quin
et in cogitando respicere. Animi perturbationes, va-
riarum



riarum rerum cupidines, fortunarum, temporis et cor-
 poris habitus, multaque alia efficiunt, ut hoc vel illud
 appetant aut fugiant, probent aut rejiciant. Ad varios
 multarum rerum motus consociatos rationi non ob-
 temperantes etiam in primis auctoritas est res rendera.
 Certe et haec, ut reliqua, quibus praeter rationis sua-
 sionem ad agenda et credenda homines inducuntur,
 multorum malorum caussa est. Inde fere omnes opi-
 niones praejudicatae de bono et malo, de vero et falso
 oriuntur. Quis vero est, qui nesciat, quam juste in
 has opiniones praejudicatas semper ab omnibus, qui
 veritatis vere fuerunt studiosi, querelae sunt effusae?
 Auctoritas usque huc in caussa est, cur alii alias sub re-
 ligionis specie summo odio persequuntur et multa ho-
 minum millia multis variisque suppliciis mortique ipsi
 traduntur; in caussa est, cur mala exempla tot tantaque
 vitia irritant, cur moribus et vitae sociorum, quid recte
 et bene factum sit, non examinantes homines credunt;
 auctoritas non ratio ejusque lumen tandem et in caussa
 est, cur tot omnis religionis revelatae, omnis adeo vir-
 tutis contemtores videmus. Quae quum ita sint, quid
 miremur, si auctoritates esse contemnendas rationeque
 semper pugnandum ubique contenditur? Sed jure ta-
 men veremur, ne non satis cauti in querelis istis simus.
 In depravato hoc hominum statu felicitas illorum re-
 quirere



quirerè videtur, ut et auctoritate homines moveantur. Quid? quod affirmare ausim ad auctoritatem nos confugere rationem ipsam saepe jubere. Res ipsa quum non parvi est momenti, et quum nexus, qui scholæ rectori cum collegis et discipulis, quin et cum iis, quorum curae schola est tradita, intercedit, ita est comparatus, ut ad successus laborum scholasticorum mire faciat, si recte hac de re sentit: id agere studebo, ut *justum auctoritati in opinionibus pretium statuam.*

Felicissima, *Viri O. O. honoratisimi* me judicarem, si sperare mihi liceret, me istuc conantem fore, ut intelligentium exspectationi satisfacerem. Aegerrime certe ferrem, si male partes meas agens de benivolentia et amicitia, qua me dignum judicasti, cuius tot haud dubia signa expertus sum, et cuius pretium nihil omnino aequare posset, aliquid deminuerem. At quantumvis magno *Vobis* placendi desiderio flagro, nimium ingenii mei viribus considerem, nisi et *Vestrae* benignitati et indulgentiae aliquid debere etiam vellem. Quo me amplectimini favore, eum igitur in me, de auctoritatis pretio disputante, judicando ut et audiatis, demisse, observanter etiam atque etiam rogo.

Quid auctoritas, quid opinio sit, non est quod ostendam. Latere neminem potest, opinionis nomine insigniri quamlibet sententiam, cuius veritas vel re vera

C

incerta



incerta est, vel extra omnem dubitationis alcam aliis posita non esse videtur. Et quis est, qui nesciat, auctoritatem nihil aliud esse, quam hominis dignitatem et omne illud, quo aliquis actionis aut opinionis cuiusdam auctor fieri potest. Videamus igitur, quatenus haec auctoritas, quae opinione sapientiae et virtutis homini conciliatur, sit laudanda ac tanquam bonum generi humano concessum consideranda. Omnis, qui in hoc, quod habitamus, hujus mundi theatro observatur ordo ac concentus, soli fere auctoritati debetur, et hac sola laude jam auctoritas foret clarissima, si nullo alio titulo commendanda esset. Quum nullus omnino homo ulli alii homini in factis, moribus et cogitationibus perfecte similis est, quum omnes homines alii aliter sentiunt: omnes magni conatus, qui multorum hominum consensum requirunt, sine illa auctoritate irriti redderentur, quia unusquisque in modo agendi suae rationis lumen aut suarum cupiditatum impulsu sequeretur. Nec ullum imperium firmum et stabile esset, nisi auctoritate et dignitate, qua pauci sunt ornati, reliqui moverentur ad illis paucis obediendum. Nam vis et potestas in obedientium ineft manu, quippe quorum numerus major est. Ideo Tacitus etiam reges vel principes auctoritate suadendi magis audiri, inquit, quam jubendi atque imperandi potestate. In eandem quoque sententiam, Livio auctore, Appii, ferocis consulis



fulis Romani, legati et tribuni, imperii vim omnem in
 consensu obedientium esse, monent. Auctoritatis quidem
 maiestate etiam id efficitur, ut quam plurimi homines
 et injusti imperii pondere premantur, et ut felicitas hu-
 mana, quae aequabiliter per omnes homines fusa et
 disperita esse deberet, quatenus in donis fortunae ex-
 ternis fruendis consistit, ad paucos solummodo vergat.
 Sed summi numinis suprema omnium rerum cura
 etiam prouisum est, ut et auctoritati, sicut omnibus
 reliquis rebus, quarum concursu mundus regitur et
 movetur, certus modus sit, quem transgredi homini-
 bus non licet. Naturae leges, si nimis violantur, tan-
 dem in jura sua redeunt hominesque, nimia miseria
 pressos, liberos reddunt. Id certe verum est, auctorita-
 tis vim generi humano beneficam esse posse et re vera
 esse. Tum etiam fidei et auctoritati aliorum merito
 credimus, si de re nobis incognita agitur. Ingenii no-
 stra tanta quum non est vis, ut immensum cognitionis
 humanae campum amplecti quilibet possit, si vel ad id
 natus esset, ut, quae homini cognoscere licet, investi-
 garet et perscrutaretur omnia; quin quum maxima
 hominum pars nec ulli scientiae magnopere operari
 dare potest: rationi consentaneum est, nos aliorum
 auctoritati in omnibus illis rebus, quae nobis non sunt
 cognitae, cedere et fidere. Haec tantummodo nobis
 cautio esto, ne temere quid credamus, quod omnino

C 2

ab



ab interni, qui nobis de vero et bono est, sensus et a naturae approbatione abhorret. Nec non videamus, ut hominis intelligentis, honesti et sinceri indicia, antequam illi confidimus, in illo deprehendantur. Quod quidem ut fieri possit, in qua illi fidendum est, ejus rei cognitio nobis sit, necesse non est. Quum hac caremus, idonei rei judices non essemus futuri. Sufficit, si in rebus, ad vitam communem pertinentibus, hominem prudentem et bonum illum cognovimus.

Haec omnia ab iis, qui in auctoritates et inde orientes opiniones praejudicatas tanto clamore inventi sunt, non satis considerari solent. Ita auctoritatis jura defendens, minime vero dixerim, hominem, qui rem bene perspectam habet, se ad hominum aliter sentientium auctoritatem adjungere debere. Auctoritatis nulla sunt jura, si hominis ratio ipsa claro illi lumine praedita, veritatisque vestigia illi ostendit, quamquam et tum cavendum ipsi est, ne nimis viribus suis fidat, ne amore sui ipsius aut cupiditate, opinionem suam potius defendendi, quam veritatem cognoscendi, ad aliquid credendum aut agendum inducatur. Si quis certe persuasus est, se modeste de suis animi facultatibus sentire et ingenii sui indole ad id potius trahi, ut ad aliorum sententiam accedat, quam ut suam ipsius opinionem retineat: ne ullius tum auctoritatem curet,

nec



* * 21 * *

nec si reipublicae leges permittunt, dubitet suam ipsius intelligentiam sequi. Qui aequus aliorum judex est, malam hoc in partem accipere non potest, nec diversissime sentientem eam ob rem minus amare debet. Nolite igitur, A. O. O. H. timere, ne veritatis immo etiam hominis juribus aliquid detrahatur, dum contendere ausus sum, cauto veri amatori nec auctoritatem esse spernendam. Sed reliquum est, ut dicam, quando potissimum auctoritati nos cedere ratio et veri ipsius studium jubeat.

Auctoritas hominum aliter sentientium tum magno apud me pondere esse debet, quum alii in omnibus ad rem, de qua sermo est, pertinentibus cognoscendis diligenter et diu sunt versati et totum rerum ambitum sibi cognitione reddiderunt, quum ipse non nisi quasdam consideravi aut cognovi illius rei partes, et quum de partibus illius recte judicare non possum, nisi totam oculis perlustrare mihi contigerit. Quis nostrum est, qui experientia non sit doctus, se studiis obsequentem multa sibi penitus persuasisse, quae melius edocetus falsa deinde cognovit? Si quis ab humano genere omnino esset sejunctus et si ipse rationi convenienter viveret, nec sua ipsius experientia de mysterio infando humanae stultitiae crudiri potuisset: rideret certe, si legeret, gentem quandam ratione praeditam meliora videre et

C 3

pro-



probare, et deteriora tamen sequi; rideret doctorem admirabile illud paradoxon, quod suae rationi omnino repugnare videtur, tradentem. Scimus tamen, experientia admoniti scimus, nos homunciones tam perverse maximo Dei beneficio abuti. Quomodo vero id fieri possit, qui explicare proterimus, nisi quid ratio, quid cupiditates, quid instinctus in homine efficiant, antea bene perspeximus et totum hominem interioresque etiam animi recessus cognoverimus? Valeat igitur aliorum, qui rem ab omni parte probe consideraverunt et didicerunt, apud nos auctoritas, si ipsi ad illam totius rei cognitionem non pervenimus, nec sine metu quodam ab illorum sententia discedamus.

Et tunc auctoritas rationis ac cognitionis locum jure tenet, si experientia opinia omnium rerum magistra nobis adhuc deest. Quae homo experientia ipsa doctus commendat aut vituperat, minime esse negligenda, non est, quod multis ostendam. Si solis argumentis quis pugnat, reique laudes solis ratiocinationibus nituntur, non eadem est fide dignus, qua ille, qui experientia et sensu, quid bonum et quid malum sit, didicit. Experientia duce tam flammeis demum, qui sapientiae et virtutis sit honos, et quae sint infortunia, quae hominem vitiis obrutum, pigritiae deditum, quin et imprudenter rusticeque viventem sequi solent, animo repre-



423

repraesentatur coloribus, ut ad faciendum aliquid aut non faciendum moveatur. Vita igitur et consilia hominis hac experientia docti ad vitam jucundam et fortunatam tendenti maximi esse momenti debet. Et adolescentis, ut Cicero recte monet, est, maiores natu vereri exque his diligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque *auctoritate* nitatur, ut incuntis aetatis inscientia senuim prudentia constituatur et regatur. Hoc de parentibus respectu liberorum et de illis, qui juventuti erudiendae et formandae praefunt, magistris, quatenus hi vere paterno amore discipulos amplectuntur, in primis valet. Quot miserias et acrumnas, cum quibus per totam saepe vitam luctantur, juvenes vitarent, quam pauci tam periculosa et iniqua valetudine conflictarentur, et quod vitae commoda impetrarent, si amici patris et praceptoris monita magis curarent et observarent! Et quis est humano generi amicus, qui non optet, ut parentum et praceptorum auctoritas majore esset vi et pondere? Eo magis hoc est optandum, quam externa rerum species mala, quae inde oriuntur, quam rarissime minatur, et quam crudelia saepissime venena dulci sub melle latent. Si quis jucundum, quo mens pravis cupiditatibus obediens, fruitur, sensum, et amarum, qui illius sensus fructum excipit, dolorem et taedium, si puram, quam virtutis, prudentiae, omniumque, quae ad homines felices red-

den-



dendos ab omnium rerum creatore et moderatore nobis sunt praescripta et coſtendata, officiorum studium parit voluptatem, et incommoda, quae et ex hoc studio, ut homines sunt, saepe oriri solent, certo judicio ponderat: non eerte potest, quin fateatur, et Epicureo, voluptatibus et doloribus omnia ponderanti, virtuti omnique, quod bonum est, esse studend. n, longeque dulciores et constantiores voluptates ex virtutis honestique studio oriri, quam quae ex effrenatis animi cupiditatibus satiandis proficiscuntur. Quatenus aliquis aetate magis provectus est, bona et mala, quae hanc vel illam vivendi rationem comitari solent, melius et accuratius ponderare potest. Huius igitur juniores experientiam, consiliis et monitis suis obedientes suam facere possunt, ita ut ipsi, quae nocent experiri non sint coacti. Verum quidem est, et hic saepe valere, quod cuilibet, qui ipse de re aliqua judicare potest, est commendandum, nec hic saepe omnia esse temere credenda. Sed quum non facile hac in re peccatur, et quum facile quisque videt, an ex amore veri et boni seniorum consilia profiscantur nec ne: hoc attigisse sufficit,

Quae usque huc in latidem auctoritatis dixi, pauci credo sunt, qui non probent. Num vero etiam a me stabitis, veritatis amici, si contendo et eruditissimis hominibus in illis scientiis, in quibus prae aliis sunt optime



optime versati, auctoritatis jura saepe sacra esse debere? Videte saltem, si placet, quid et hic in laudem auctoritatis dici queat. Quamquam duas res sibi repugnantes simul veras esse non posse, nemo non credit: multa tamen exempla sunt hominum, quorum alter affirmat, quod alter negat, et ita quidem, ut quilibet veritatem se sequi sibi penitus persuadeat. Nec non saepissime accidit, ut boni et periti litterarum judices alterutri horum plures ingenii dotes tribuere vix andeant, et ut utriusque auctoritas eodem sit apud illos, qui ipsi de rei, cuius sub judice lis est, conditione et veritate judicare non possunt, pretio. Quo casu auctoritas fluxa merito alios impedit, quo minus ad veritatem sibi aliquid persuadeant. Et haec auctoritatis vis non modo ad alios rerum, de quibus agitur, non satis peritos, sed et ad eos ipsos pertinet, qui res sibi oppugnantes defendunt. Quantumvis magna animi contentione rem bene perspicere operam dederim, quantumvis eximia judicandi facultas mihi, vel intelligentibus judicibus, a natura sit tributa: modeste immo et timide tamen id, quod aliis homo eruditus, qui non minore, vel meo vel aliorum judicio, ingenii acumine praeditus est, negat, mihi affirmandum est. Quin ipse mihi fidere jure dubito, nisi severum examen subiero et convictus fuero, me non cupiditate id, quod semel affirmavi, defendendi adversariique sententiam

D

refu-



refutandi falli, sed solo amore veri et boni in opinione
mea defendenda duci. Quod quidem si compertum
habeo et certissimis argumentis de sententiae meae ve-
ritate persuasus sum: modestia quidem, qua quisque
de se judicare debet, non amplius postulat, ut senten-
tiam meam, tanquam opinionem incertam, conside-
rem et de illius veritate dubitem; sed quamdiu adver-
sarius meus argumentorum meorum vim non cogno-
scit et quamdiu eodem, quo ego, modo de suae sen-
tentiae veritate convictus est, minime postulandum
mihi est, ut ille, et qui opinioni suae adhaerent id,
quod ego verissimum esse credo, tanquam verum et
certum accipiant. Quum non sine superbia mihi ma-
jorem ingenii aciem tribuere possum, quam illi, et
quum plura mihi ab illo non sunt poscenda, quam
quae ipse illi concedere volo: mei est, non indignari,
si sententiam meam opinionibus adscribat, sicut ipse
ipsius sententiam opinionibus dubiis adnumerare audeo.
Porro aegre non feram necesse est, si, quatenus per
jura illi debita fieri potest, suae potius quam meac aut
ullius alius hominis lumen in cogitando et agendo se-
quitur. Quum enim argumentis eum ad sententiam
meam adducere non possum et ita res ad auctoritatis
judicium reddit, inique cum illo agerem, si meam ma-
jore, quam suam, auctoritatem pondere esse conten-
dere vellem.

At



At grato potius animo benignitatem, qua me *Auditores O. O.* rite venerandi ac colendi, audivistis, me agnoscere quam plura de auctoritate ejusque in opinioribus pretio addere convenit. Ago igitur habeoque Vobis gratias, A. A., non modo pro hoc vestrae in me benignitatis testimonio, sed etiam imprimis *Vobis, Patroni ac Fautores*, qui Regiam et hujus urbis curiam ornatis, pro insigni illa fiducia, qua unanimi consensu, quod jam *Augustissimi Regis nostri* auctoritate in me suscipio, munere me dignum judicare Regique cum in finem commendare voluistis. Felicissimus certe ero, si vita et facultas mihi contingent, ea, quae in usum scholae hujus exspectatis, praestandi. De eo saltem Vos persuatos esse velim, me, quantum per vires meas fieri poterit, id esse aucturum, ut juventuti mihi creditae et credendae fidelem ad cognitionem et amorem veritatis, virtutis, omnisque boni et pulchri ducem me praebeam. Nam sicut amor et benignitas vestra dulcissimum pretiosissimumque laborum meorum praemium erit, sic illo amore dignum me reddere dulcissimum jucundissimumque mihi laborem semper fore ostendere Vobis studebo. Quae vero promittens non possum, quin et optem et sperem, *Vos, Maecenates, summe venerandi ac colendi*, et in primis *Te, Vir venerabilis*, qui hanc mihi jam provinciam tradidisti et qui tam egregie in re scholastica versatus es, *Vos, inquam, omnes*

D 2

omnes



omnes fore, qui conatus meos benivolentia, opera et consilio adjuvetis. Tunc et audacter sperare mihi licebit, me scholam hanc, id quod maxime in votis est, p̄ae aliis florentem esse visurum.

Et illa, quae *Vos*, quos socios laborum scholasticorum habebo, mihi dedistis amicitiae testimonia, grato animo accipio. Eo jucundiore voluptatis sensu operae, quam juventuti Oldenburgensi datis, meam jam adjungo, quo certius est, nos amicitiae vinculis conjunctos conjunctis etiam viribus partes nostras esse acturos. Et scitis, quae conjunctorum studiorum sunt praemia, felix laborum successus, animi tranquillitas et vita jucunda. Quod ad me attinet, spero, *Vos* esse persuasos, omnes meos conatus eo esse redituros, ut recte munere mihi demandato fungar et ut *Vobis* simul prober.

Nec possum, quin *Vos*, qui jam cura mea eritis, juvenes ornatissimi et jucundissimi, paucis adhuc alloquar. Nolite timere, ne cum homine difficulti et morosiores *Vobis* sit futura, qui *Vos* jucundos animi motus sentientes, ad quos juventus nata est, vituperet et condemnet. Me doctorem et monitorem accipientes amicum, tenero amore *Vos* prosequentem, simul accipietis. Quovis felicitatis et voluptatis genere, cuius *Vos* participes reddere possum, et ad quod *Vos*ducere mihi



mihi contingit, Vobiscum fruar ac si illa felicitas ac voluptas mea esset. Sed et id apud animum constitutas et in animum saepe revocetis velim, imino rogo **et** obsecro, ea, quae *Amplissimo hujus urbis senatui et splendidissimis Regiae curiae Proceribus dedi' promissa*, mihi esse servanda, meique esse in id vires meas intendere, ut virtuti et honesto amicos Vos laudare aut reddere mihi liceat. Et vere paternus, quo Vos amplectar, amor, ita me felicitati vestrae studere, semper jubebit. Si quid igitur erit, quod religionis virtutisque sacris praeceptis repugnet, et quod Deo omnibusque bonis probari nequeat: laesi boni et honesti aut potius laesae vestrae felicitatis caussam indefesso studio agam. Verum enim vero, ut ne memorosum severumque actionum vestrarum observatorem et custodem metuatis: id etiam praestabo, ut teneri amoris, quotiescumque reprehendendum aliquid mihi fuerit, indicia videatis, et amici Vobis dediti Vocem audiatis. Memineritis autem, Juvenes jucundissimi, etiam velim, quaenam homini ita Vobiscum agenti debeantur. Dulcissima pectus praceptoris ita sentientis voluptate tentatur, si studium, quo illis amorem sapientiae et doctrinae propinare operam navat, agnoscunt, et si eodem, quo illis litteras tradit, ardore illas accipiunt et amore amori respondent; sed et omnium mortalium miserrimus est, si ipsius amorem parum curant et verecundiae, quae

D 3

opti-

discipulis

optimus juventutis ornamentum est, parum memores laetissimam muneris sui spem fallunt. Non sine magno vero gaudio id cogito, inter Vos jam esse, quorum haud dubia jam diu amoris tencrum signa expertus sum. Quidni etiam credam et sperem, et reliquis animum tam bene a natura informatum contingisse, ut dulcem mutui amoris affectum sentiant, et ut ea, quae inde nascitur, voluptate frui studeant?

At vero quum omnes hominum spes et labores inane sunt et ad irritum cadunt, nisi Tu, alme omnium rerum Pater, conatus nostros secundas: ad summam Tuam benignitatem configio et Te oro obtestorque, ut sapientiae Tuae lumine auxilioque Tuo de juventutis hujus scholae salute cogitanti et illam ad quodvis salutaris cognitionis et felicitatis genus formare conanti numquam non mihi praesto sis. Nisi tu valetudinem meam sustines, gratia atque ope tua me adjuvas, scio, tantorum officiorum onus me jam subire, ut ad illa praestanda et ad hoc bene ferendum humeri mei non valeant. Tuo igitur numine, Tuaque cura efficias, ut quamdiu huic scholae operam do, magnus juvenum, multa doctrina, haud fucato virtutis amore, moribus bonis civilibusque instructorum, numerus ex hac doctrinae virtutisque sacra officina exeat, supplex Te oro obtestorque.

Obi

D 3

Sup-



Supplicibus etiam abs Te, summe benignissimeque
hujus mundi moderator, precibus peto, ut *Augustissimus*, quem Regni Danici terris praesidium proponisti, Rex carus Tibi semper sit, omnibusque consiliis, quae ad regiones, suae curae traditas, felices redendas capit, providentia Tua praesideas. Tota etiam *Regia Domus ac stirps* sub divina Tua tutela incolmis semper esto. Sicut omnes qui Regi in terris, imperio suo subditis, regendis a consiliis sunt, manusque praebent, ita et in primis harum regionum illuistrissimus atque excellentissimus Praeses, illustres curiae Regiae Proceres, amplissimus hujus urbis Senatus, supremus tandem rei ecclesiasticae et scholasticae harum regionum Praepositus, quorum sub auspiciis huic scholae serviam, divinae tuae curae ut commendati sint et omnibus bonorum felicitatuinque generibus cumulentur piis tandem votis ac precibus abs Te peto et efflagito.

N O T A.

Eorum causa, quibus, oratiunculam meam legentibus, Positivus, qui p. 16 et alias post: *Quis est, qui nesciat et post cur relativum* occurrit, offendit fortasse fuerit, addendum est, me scribentem consilio illo usum esse. Res ipsa et quae philosophus acutissimus de Premonstrat in libro *Preservatif contre la corruption de la langue françoise* inscripto pag. 73—93. Part. I. de usu Indicativi et Conjunctioni eleganter et solide disptavat, fere effecissent, ut tyranni, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi, auctoritatem invadere ausus essem.

Secundum regulam universalem, quae in omnibus linguis observari deberet, Conjunctionis nunquam de eo, quod omnino est certum et definitum adhibendus est. Illa minime tum est negligenda, quam illa observanda ambiguitas aut falsus adeo sensus colligatur.



tollitur. Negligitur vero, si Romani, de magno quodam et noto crimen loquentes, dicunt: *Quis est. qui nesciat, quantum orimen commiseris.* Quod explicantes si conjunctivi vim assequi velimus, hic est sensus: *Quisque quidem scit, te crimen commisisse, sed ignorat fortasse unus et alter, quantum illud crimen sit.* Indicativo vero utens dico, quod cogito. Nemini magnum illud crimen, quod commisisti, ignotum est. Quod ad *cur relativum* attinet, non aliter saepe res se habet. E. g. *Haec est causa, cur, id est, propter quam, ita me gesserim,* ad Conjunctivum si respicimus, significare non potest: Aus diesem Grunde habe ich so gehandelt. Illi legi universalis, quam res ipsa, non linguae cuiusdam ratio peculiaris fert, etiam nostrates obediunt, et de Prémontval contendit, Francogallos illam vel contra usum sequi debere. At enim lingua latina est, ut dicunt, mortua: ne quis igitur aliquid in illa mutare sibi sumat. Certe nec vocum nec enunciationum significationem mutare nobis licet, quia aliquoquin, qui Veteres scriptores Romanos legens latine didicit, scripta ejus, qui aliam vocibus significationem tribuisset, non intelligeret. Nec eandem ob causam sine urgente necessitate verba, veteri latio incognita, sunt usurpanda. Sed et Romanus, recte de usu Indicativi et Conjunctivi judicans, idem, quod de Prémontval monuit, monuisse: et ratione absentiente quidni et reliqui Romani assenserent? Quod vero sumentes quidni et nos rationem ducentem sequeremur? Eodem modo usus litterae v recte, si illam, prout pronunciatio jubet, adhibemus, constituitur et j recte assumitur, et si j Veteribus incognitum et v vocalem a v confona ab illis distinctam non fuisse pateat. *GESNERUS*, qui utraque littera, ut in monumentis et cippis invenitur, usus est, iisdem illis argumentis inductus Veterum orthographiam, quam omnes reliquae Europae gentes rejecerunt, nec sibi probari, in ultimis vitae annis fassus est. Verum enim vero quamquam haec aliqua mihi persuadent et in lingua, quae quidem non est patria, sed hereditatis jure et usu tamen nostra, ad altiorem perfectionis gradum tendere nobis licere: rem mecum reputans tamen fateor ejusmodi quid vix suadendum esse, quia, quod jus cauto et gnaro rei judici concedi posset, illo multi alii male uterentur. Conjunctivum quoque reposuisse, nisi plagula prima prelo jam fuisse sublata. Jam vero hanc notam quam Indicativum, ut erratum adjicere, malui. Fortasse inter lectores meos erunt, quos hac de re mecum philosophori juvit. Fortasse et erant, qui Veteres legentes exempla reperient, quibus regula illa universalis confirmari posset. Plautus, illius vim saltem sensisse videtur si, *videlicet*, inquit, *quam mox vapulare vis.*

Amphitr. I. 1. v. 204. Idem alio, qui mihi jam non occurrit, loco et dixit:

dic, quam mox hoc erit factum.

Cod. ps. 100. fol. 1v. c. 49